

na neque diuina fides in rationabili contineat officio; id quod nunc maxime, generali rebellionē, non sine ingenti concuſſione animi comprobatum. His poſt expectatam diu reductionem, & oblata pacis fœdera, nec quidquam eorum obtentum, indiſta eſt ſeruitus Regiæ ſanctiōe, de quâ Dom. Solorzanus *Lib. 3. citato. Cap. 8. num. 8. & ſeqq.* & in *Politica pag. 70.* & licet nonnullis neque conueniens, neque iuſta viſa fuerit: poſt rebellionem tamen dictam auctiui eos aliter ſentientes. Pro iuſtitia autem, præter communem rationem, & Doctorem auctoritatem, ſic generaliter decernentium, irrefragabile ſuppedit argumentum, ex eo deſumptum, quod omnes, ſi non ſpeculatiuè, practicè tamen amplectimur, dum mancipia Æthiopica & emimus & vendimus, hæc abſque vilo conſcientiæ remorſu ſeruatorum iure tractamus: Atqui in illis minor ſeruitutis apparet titulus, vt videri poteſt apud P. Molinam *Diſput. 34. & ſeqq.* & P. Thomam Sancium *Tomo 1. Conſiliorum Lib. 1. Cap. 1. Dub. 4.* Dom. Solorzanum *Tomo 1. Lib. 3. Cap. 8. num. 108. & ſeqq.* & in *Politica pag. 69. 5. Porque.* & alios, de quo & nos *Titulo 9. à num. 180.* calamo fuſiori. Ergo circa Clientes non eſt in quo hæreere debeamus, cum belli titulus manifeſtus ſit, & ab omnibus admiſſus, vt bene oſtendit P. Sancius *ſupra num. 1. & Dub. 3. num. 5.* Pro quo & Cardinalis Lugo *Tomo 1. de Iuſtitia. Diſput. 6. num. 11.*

104 Dici poteſt à Regibus Catholicis hoc iudicatum illicitum, vt vidimus *num. 100.* verbis illis: *Porque eſtos no ſe pudieron hacer es clauos, aunque fueſe por ocaſion de rebelion.* Sed id non obſtat; concedimus enim non bellum quodlibet, aut rebellionem quamcumque, ad ſeruitutem ſufficere, ſicut *Superius* explicatum; iteratam tamen, neque cum ſecuritate Noſtrorum, & eorum, qui Chriſtianam ſunt religionem amplexi, aut emendationis ſpe, titulum eſſe ſufficientem affirmamus.

105 Id tamen circa præfatam legem ſeruitutis addiderim, eam ruinæ illius regni occaſionem inſandam præbuiſſe; dum enim prædæ huic quaſtuofæ immoderatiùs ab exercitùs noſtri Præſectis incumbitur, non iam Dei, & publicæ cauſæ res acta, & ita nec iuſtitia obſeruari limites, vnde omnia in peius ruere, & retro ſublapſa referri conſpicimus. Non placuit aliquibus pax, in quâ prædæ partim; & ita facile fuit belli vix extinctum incendium tuſcitari. Videant ergo Reges noſtri quod iam admonui *Cap. 9.* & Gubernatores prouinciis talibus ſelectiſſimos aſſignent, ni velint id, quod multis eſt & quaſtuofiffimis laboribus partum, vnius diei ſpatio deperditum complorari.

106 Dico tertid. In hac ſeruitutis lege non videtur rationi ac pietati conſonum vt pueri aut puellæ, etiam rationis compotes, comprehendantur. Probatur

Primò à ſimili: Nam Philippus Secundus Rex noſter non permittit Maurorum filios in rebellionē Granatenſi ſeruos fieri, vt teſtatur Cardinalis Lugo *ſupra num. 13.* & ante illum P. Molina *Diſput. 33.* vbi diſputat an contrarium licitè fieri poterit: & licet affirmatiuam ſententiam amplectatur; oppoſitæ tamen non leuia funda-

Ex Ethio-
piciſ man-
cipiis ro-
boratur.

Ex Regia
ſchedula
reſponſo
in qua
rebellantes
examinantur,
cui ſua
ſua.

Occaſio
auaritia
inde ſum-
ta, rebel-
lionem ex-
citauit.

Ad Reges
noſtros ad-
monitio.

Aſſertio 3.
pueros re-
ſeruantur.

1. Mauro-
rum Gra-
natenſium
exemplo.

menta proponit, quibus conatur ſatisfacere; non tamen ita apertè, vt fundamenta prædicta ſuo robore videantur penitus deſtituta. Quod ergo cum Mauris factum, Hiſpaniæ infeſtiſſimis hoſtibus; cur non etiam cum Indiſ fiat, de quibus inter Hiſpanos educatis & ſeparatis à parentibus, id ſperare poſſumus, quod in plurimis eorum etiam ſeruis deprehendimus, Chriſtianos ſcilicet mores, & æternæ ſalutis pignora non leuia, de quo poſſum propriæ experientiæ ſuffragio iudicare.

107 Secundò, quia etiam poſt iteratam rebellionem ſunt qui cenſeant, ſic rebellantes non poſſe fieri ſeruos, quia rebellionis non leues excuſationes inueniunt, quandoquidem non leuiter ſunt ad executiendum ſociale iugum prouocati; ergo ſeruitutem ad impubes extendi, neque rationi neque pietati conſonum apparet.

Tertid, quia in omnibus bellis, quæ in partibus Indiarum contra indigenas geruntur, negotium fidei principaliter debet attendi, cum à Sede Apoſtolicâ eo ſint reſpectu Catholicis Regibus attributæ; atqui libertate eorum, de quibus agimus, negotium fidei promouetur; ergo debet illa in iſtis tartatecta ſeruari. Major eſt certa ob rationem poſitam, & Minor clara; nam ſeruitus fruſtuofa fidei obeſt ſuſceptioni, ad quam libertas conſert, vt iam vidimus *ſ. præcedenti* ex mente Pontificum, & ratione.

108 Dices ex hoc ſequi etiam adultos non debere ſeruitute mulctari, quia ſic ad fidem aptiores inueniuntur. Sed hoc non ſatisfacit; quia adultos ſupponimus eſſe Chriſtiani nominis inimicos, neque de illis quidquam poſſe eo in genere firmum expectari: At de filiis aliter ſentendum ob dicta *num. 106.* Quòd ſi ſperaretur adultos libertatis conſeruatione ad fidei ſuſceptionem meliùs diſponendos, idem proſectò dicendum. Et hac de cauſa Reges noſtri tantopere fuerunt de Indorum libertate ſoliciti, vt neque belli jus, neque rebellionem illi obſtare cenſuerint; quia ſcilicet negotium fidei Chriſtianiſſimo calore tractabant, quod arbitrabantur hoc pacto meliùs proceſſurum. Faciant ergo tantis digni parentibus filij, quòd de eorum zelo ac pietate non eſt cur minùs ſperare, eorum plenè conſeij, debeamus.

CAPVT XII.

Minerisne effodiendis poſſint Indi, talem non meriti pœnam, ſine labe culpæ lethalis addici.

109 Poſt Indorum libertatem, circa quam Reges Catholicici, vt vidimus, eximie fuere ſoliciti, nihil videtur ita poſſe eorum ſolicitas conſcientias agere, vt id, de quo quaſtio & controuerſia præſens agitur. Videtur enim hæc ad Minerarum compulſio quoddam ſeruitutis, & duræ ſatis, genus: adeò vt inter ſeruatorum officia neutiquam numeretur, iuxta receptam apud Romanos conſuetudinem, quidquid antè de antiquioribus fuerit minùs humanè agentibus, & infelices in eo ſuccellus expertis. Pro quo Athenæus *Lib. 6. Cap. 7.* ſuo de tempore

2. Ex re-
bellionis
excufatio-
nibus.

3. Ex ſine
conuerſio-
nis in do-
natione In-
diarum.

In adultis
aliam el-
ſe rationem.

In mineris
labor ſu-
pra ſeruo-
rum la-
bores.

Horatius. *Epist. 16. Lib. 1.*
Vendere cum poſſis, captiuum occidere noli:
Seruier vtiliter; ſine palcat durus, aretque,
Nauiget, ac mediis hiemet mercator in vndis:
Annonæ proſit, portet frumenta, penuſque.

Quo non obſtate, fuerit qui compelli poſſe cõferent, moderatione adiectâ, vt Chriſtianam pietatem decet, ſi videlicet per interualla hæc fiant, & in ſoluendo laboris pretio ſpecialiſſima habeatur cura, cum cautionibus aliis, circa quorum obſeruantiam attentiſſimos opus eſt ſe gerere Magiſtratus. Et ita quidem diſpoſitum: cum fuerint, qui erga hoc Regibus noſtris ſcrupulum omnem exemerint; nihil enim à piſſimis Principibus ſine hoc eſt ſaluo conductu tentatum. Diſpoſitioni autem à viris doctis, & Chriſtiano zelo æſtuantibus reclamatum; ex quo factum, vt res in conſilium multorum fuerit ſemel iterumque vocata, & Reges noſtri de tollendo hoc onere miſſellis iſtis ſerid tractauerint, & pro eo reſcripſerint; quod tamen non potuit, vt eorum erat deſiderium, executioni mandari. Teſtantur autem illi in Reſcriptis variis deſiderare ſe onus iſtud ab Indorum ceruicibus amouere; ſed tollerandum illud, donec melioris diſpoſitionis opportunum tempus adueniat. *Que ſin embargo de lo prouenido por cedulas antigvas, cerca de que no fueſen compellidos à eſte trabajo contra ſu voluntad.* Verba ſunt decretoriæ Schedulæ, quæ extat *Tomo 4. pag. 315.* Fuerunt ergo qui ſic antea prouidere, hac graui ſaucij curâ, quia ſpinam, quam educere conabantur aliqui, alij contra ſentientes validiùs infigebant. Statutum eſt nihilominùs in ſchedulâ præfatâ oppoſitum; ſed non ad tranquillandos Regios animos noui & ſanè docti conſiliantes ſuffecerunt. Iterum de tollendo deliberatum grauamine, & deſignatum tempus pro executione commodiùs inducendâ. Nequidquam tamen; & ita res in eodem ſtatu, quem & nunc habet, eſt relicta.

110 Eſt ergo cauſa hæc pro vtraque parte ſatis ſuperque ventilata, vt nihil à me addi in præſenti poſſit, cuiumque adhæſero, quod magni queat eſſe momenti. Licitum ſi dixerò eſſe grauamen, iam melioribus teſtibus id firmatum, quorum auctoritate res agitur. Si illicitum aſſeruero, nihil meâ exiſtimatione confeceerim; neque eurentem hanc tanto impetu machinam puſillæ vocis inſtantiâ reuocauerim. Fr. Michæl de Agia Franciſcanus ex profeſſo probandum aſſumpſit licitâ eſſe Indorum ad metalla effodienda compulſionem, ſic Regium Reſcriptum Philippi Tertij Anno 1601. tranſmiſſum interpretans *pag. 60. & ſeqq.* Cuius ſententiæ quamplures viri docti in Limanâ hac vrbe ſubſcripſerunt; duodecim inquam maioris abollæ Theologi, & Iuris vtriuſque Profeſſores, aut in eodem verſati; & præter eos decem alij S. Philippi Collegæ, qui videntur ad augendum numerum ſubſcribentium adſciti: licet enim in eo Collegio plures fuerint, qui Iuriſprudentiæ ſtudentes, in eâ inſignes eualeſerint facultate, & primarias in hoc regno ſedes occuparint; dum tamen ibidem agerent, vix gradum ſtudentium prætergreſſi, neque experientiâ, neque rerum notiâ adeò excellere poterunt, vt eorum iudiciâ in re tantâ, contra ſentientibus & clamantibus quamplurimis ſci-

F. Michæl
de Agia
affirmans
partis acer
propugna-
tor, qui &
alios con-
gerit non
penitus
ſufficientes.

Theſauri Indici Tom. I.

tiâ, prudentiâ, experienciâ, & religione conſpicuis, tanti fieri debuerit, & tot ſubſcriptionibus paginas onerari. Illud maioris proſectò momēti, quod citatus Pater atteſtatur, Proregem ſcilicet Dom. Ludouicum à Velafco, aſſirmaſſe ipſi, alios à ſe conſultos idem cenſuiſſe, & in re omnes eſſe conformes, licet viis diuerſis incedentes. Quod ſi ita eſt, cur non & eorum ſubſcriptiones dictus Pater obtinuit, & ſua lucubrationi contexit?

111 Contrarium tamen, vt dixi, quamplurimi corditùs tenuerunt, ex quibus eiſdem Religionis alumnus Fr. Ioannes de Silua in Animaduerſionibus iam citatis *fol. 69. pag. 1.* cuius, quia nimis acerba, nolo verba tranſcribere. Et R. P. Fr. Antonius Martinez, vir ob inſignem probitatem & doctrinam, muneraque in eadem Religione præclare geſta, magna apud omnes exiſtimationis; qui id non ſolum verbo, ſed & ſcripto teſtatur, vt citatus Auctoſ affirmat, qui contra ſe Religioſos omnes aliorum Ordinum videtur habuiſſe, cum nullum ex illis habeat ſui placiti ſubſcriptorem. Et erant tunc Limæ viri doctiſſimi, ſi vſpam aliâs. Habuit etiam alios ſpectatæ doctrinæ maſtyges, inter quos fuit, qui ſatis doctum circa hoc elaborauit opuſculum, quod apud me habeo manu-ſcriptum, in quo pius, expertus, & eruditus Auctoſ P. Agiæ ſententiam apertiſſimâ ratiocinatione conuellit, & quàm ſint eius leuia fundamenta, & verò etiam falſa, demonſtrat. Ignoratum autem à me Auctorem Dom. Solorzanum fecit manifeſtum *Tomo 1. Lib. 2. Cap. 23. num. 7. & Tomo 2. Lib. 1. Cap. 14. num. 2. & in Politicâ Lib. 2. Cap. 16. in principio.* Fuit enim Senator priùs Regius in Limano Prætorio, & poſtea Societatis noſtræ Religioſus, P. Franciſcus Coëllius, ab eodem quidem meritò, ſed citra meritum, felici quondam diſcipulo in Salmanticensi Academia collaudatus. Et eius quidem opuſculi ſubſidiis inſtructus, aliaque à ſe, aut ab aliis adiecta perpendens citatus ſcriptoſ, ſententiam Magiſtri ſui præferendam cenſuit *citato Lib. 1. Cap. 15. num. 6.* vtpote in vtròque foro ſecuriorem, & ſolidioribus rationibus innitentem. Indicat autem oppoſitam ſatis probabilem *Cap. 14. num. 1.* Quod ego quidem negare nequeo, ſed extrinſecâ probabilitate, ab auctoritate inquam multorum, de quâ dictum, addito ſapientium Conſiliorum in Regio Senatu, aliorumque, inter quos res eſt agitata, iudicio. Si enim eius fundamenta expendantur, leuia quidem deprehenduntur, & vt dixi, nonnulla etiam apertè falſa. Et ita Dom. Solorzanus in *Politica loco ſuperius adducto*, qui reſpondet *num. 1. Capitis 14.* nihil de probabilitate ſubiunxit, ne ſic anſam continuationi præſtaret.

112 Quod vt ampliùs oſtendam, obſeruo id, quod eſt quidem obſeruatione digniſſimum, Principes inquam noſtros grauiâ inconuenientia dignoſcere, quæ in hac metallicâ coactione ſine vmbra aliqua tergiuerſationis occurrunt, & ad onus hoc tollendum potenter induci, immò & impelli, vt iam dictum. Pro quo Regis noſtri Philippi Secundi Salomonis Hiſpani in regnandâ ſcientiâ, verba præſtat auſcultari; ſic enim loquitur in Reſcripto quodam, quod adducit ci-

Contra il-
lum duo
ex eadem
Religione
depugnans.

Et vali-
ditus P.
Franciſcus
Coëllius &
Societate,
cum laude
adductus.

Sententiæ
affirmans
probabilia
tantum ab
extrinſeco.

Gratiſ ino-
conuenien-
tia in co-
actione hu-
iſmodi
noſtri Re-
ges agnoſ-
cant, vnde
circa illam
religione
tanguntur.

C tatus

tatus P. Coëlius num. 123. *Siquen se grande inconuenientes eſpecialmente que como van muchos tales Indios a ſeruir ſuera de ſu tierra y naturaleza, cinquenta, y otras mas leguas, a donde eſtan las minas, e ir cargados con ſus comidas, mantas, y camas, adoleſcen algunos de ellos, y mueren. Demas que la doctrina Chriſtiana, que a los tales ſe auia de dar, ſe impide, y ſe cometen otras ofenſas de Dios nreſtro Señor, e ſe memos caba la gente de eſa nueua Eſpaña, e ſe ſiquen muchos daños e inconuenientes a la vida y ſalud de los dichos Indios &c.* Reſcriptum autem hoc Nouæ-Hiſpaniæ miſſum, Carolo Quinto gubernante, & eius nomine Maximiliano & Mariæ Caroli ipſius filiâ Hiſpaniæ gubernatoribus die 22. Februarij Anni 1549. Sed à Philippo Secundo die 30. Nouembris Anni 1568. ad Peruuium extendi iuſſum, vbi eadem ratio, & ita eadem iuris diſpoſitio erat pariter requiſita. Quod in Regiis ſchedulis vim legis habentibus ſpecialiter locum habere, cum aliis probat Dom. Villaroel Parte 2. Paſifica gubernationis Quaſt. 11. Artic. 4. num. 42. & ſeqq. Præfata autem inconuenientia non minora modò, quàm olim; niſi quòd immunito valde Indorum numero, onus dictum ad pauciores reducitur, & ita magis importabile reddi neceſſarium eſt; vnde & Reges noſtri pro illo ſubmouendo ſoliciti, modum quarunt, ſed non inueniunt, procrastinatione vtumque contenti.

Reſcriptum ad vnam Prouinciã quomodo aliis committunt.

Ex timore conſcientiæ Regum noſtrorum arguitur contra præſentiam probabilitatem.

113 Sed rogo iam cur ita ſint circa negotium iſtud anxij, cum eorum conſcientiæ poſint, non ſubleuato grauamine, de quo loquimur, tranquillari? Ad tranquillandam enim conſcientiam opinio ſatis probabilis ſufficit; ea præſentiam quæ & intrinſecã & extrinſecã probabilitate prædita comperitur. Hæc de cauſa cum Indiarum occupationem licitam multi eſſe negarent, nec leuibus fundamentis, quia nec Pontifex potuit, quod erat alienum conferre: Regum tamen noſtrorum conſcientiæ omnino fuere tranquillæ, nec de dimittendo tali dominio tractarunt, quia pro illis erat probabilis ſaris opinio de poteſtate Pontificis, quam ipſos ſecutos Pontifices multi Doctores affirmant; & hoc ſatis ſuperque eſt ad tranquillitatem conſcientiæ quantumuis timoratis inducendam. Item Catholici Reges de dimittendo regno Portugalliæ numquam cogitarunt; cum tamen eſſent plures, qui non ſine fundamento alterius ius præferendum affirmarent: quod merito ab ipſis præſtitum, quia ſententiam ſunt probabilem ſatis amplexi, auctoritate, Iuribus, & rationibus commendatam. Quod & in multis aliis poſſem ſimiliter demonſtrare. Cum ergo eorum animi in eã, quam ſequuntur, de grauamine Indorum ſententiã conquieſcant, ſignum eſt illam non eã probabilitate gaudere, quã gaudet aliã, & ita non ſolidis fundamentis comprobati.

Non ſola eorum pietas, ſed & iuſtitia debet in tali cauſa militare.

114 Si dicas hoc ipſorum pietati tribuendum. Fatebor equidem: quis enim Regum noſtrorum perſpectiſſimam non habeat pietatem? Sed certè non ſola ibi pietas, ſed iuſtitia etiam videtur pro miſeris iſtis aduocare. Quod manifeſtè conſtat ex eorum atteſtatione in nuper adducto Reſcripto, in quo damna commemorant, quæ Indi ex ſtatutã coactione ad metallorum effoſſionem incurrunt: ad eã enim impedienda

non ſola pietas, ſed iuſtitia compellit, cui proprium eſt ius ſuum vnicuique conferre, & ſeruare incolume, dum ratione officij peculiariſ oritur obligatio.

115 Et hoc quidem quod in Mineris aliis cenſetur durum, in Minera Huanca Velicenti, quæ viuus eſt argenti, duriffimum ſanè videtur. Vnde præfatus P. Agia, qui Indos ad huiusmodi operas compelli poſſe probauerat, vbi rem propriis oculis attentè perſpexit, in profunditatem centum quinquaginta ſtatuum deſcendens (eſt autem nobis Status, humani corporis meſura) per ſcalas penſiles, & exiguã lumine lucernæ, palinodiam teſtatiſſimam recantauit, vt conſtat ex vltimã clauſulã dictæ lucubrationis. Et licet modò Indorum labor in monte illo non ita dicatur eſſe terribilis, vt erat quando à prædicto Patre profunditas eſt illa luſtrata; ſemper tamen damna paruo diſcrimine perſeuerant. Vnde Rex noſter Philippus Quartus, voris communibus ſoſpitandus, poſt vltimam conſultationem circa hoc habitam, Regiã ſanè & Chriſtianã magnanimitate promiſit, obtentã, vt ſperatur, pace, quam tot vndique bella diſterminant; Indos à labore prædicto penitus releuandos, & ex Hiſpaniã, Germaniã, ac Prouinciis aliis magnis quantumuis ſumptibus, neceſſariam argenti viuus copiam exportandam. Sic Dom Solorzanus Cap. 15. citato num. 91. Sit ergo pax, ô pacis Auctor, in diebus noſtris, vt poſt noſtros dies pacis fructum pacifici maris accola, quem deſiderant, conſequantur. Neque ego de hoc plura, vbi non per campos eruditionis excuſſo, ſed rem conſcientiæ ago, conſulens breuitati, certuſque poſt longiores diſcuſſus nihil obtinendum amplius, quàm quod poſtremã illã eſt conſultatione firmatum.

In Mineris argenti viuus id certius compertitur.

Palinodia P. Agia.

116 Vnum illud addam, quod minimè prætereundum duxi, cum rei notiã ad me hoc ipſo, quo iſta ſcribo, tempore, Noſtrorum per litteras relatione delata fuerit, heri videlicet: Deprehentum ſcilicet Indos, qui ex regione non parùm diſtitã ad Huanca velicanum montem aduehuntur, cum propè accedunt, monti ſacrificare ſolitos hoc ritu, vt intra domum aliquam conuenientes, ex mayzio, & aliis terræ fructibus, familiari ipſorum alimeato, quilibet coram ſe paruum diſponat aceruum: hos autem omnes copulantes, ex iis grandioſum aceruum conſtituunt, & illum monti ſuis ceremoniis immolant, ab eo enixè poſtulant, ne illis noxius & exitialis ſit, vt de more habet, nec tremuli & intoxicati fatalis & lethalis pulueris hauſtu, ſed incolumes ad lares proprios reuertantur. Adeo parùm in iſtis prouexit fides poſt diurnam illius prædicationem, dum importuno huic labori affixi, vix poſſunt ſeruid, & cum debitã ad fidem affectione piã, de illius neceſſario ad ſalutem dictamine cogitare.

Indi monti Huanca velicano ſacrificant, vt euadit incolumes

117 Dum Hebræi in Ægypto intolerandis laboribus affliguntur, periclitatur fides, & in Idololatriæ barathrum eorum plurimi deturbantur. Hinc Deus illis per Ezechielem 23. verſ. 8. ſic reprobat: *Insuper & fornicationes ſuas, quas habuerat in Ægypto, non reliquit.* Hinc & vitulum in deſerto poſt tot Dei mirabilia à Deo in eorum patrata gratiam, mirè infideles adorant, quaſi A-pin Ægyptium, vt boni teſtantur Interpretes. Videndus

Intolerandis laboribus fidei obices.

Ezech. 23. v. 8.

Ex Hebræis in Ægypto comprobatur.

Exodi 2. v. 1. Videndus P. Cornelius circa Exodi 1. v. 10. & Deo quidem de ipſorum agente libertate, Moſes haret, qui ad eam perficiendam mittebatur. Reſpondens Moſes, ait; *Non credent mihi, neque audient vocem meam, ſed dicent; non apparuit tibi Dominus.* Exodi 2. v. 1. Non credent conturbati animi oppreſſione duriffimã. Si enim conturbatus animus non eſt aptus ad exequendum munus ſuum, munus inquam circa communes & familiares etiam functiones: quomodo aptus ad res fidei ſit, vbi ſupernaturale negotium geritur, & cum iis agit, qui ad huiusmodi vix quieti & ceſſantes emergunt, inſtructionibus iteratis? Apparuit (Gedeoni) Angelus Domini, & ait; *Dominus tecum, virorum fortiffime.* Dixitque ei Gedeon: *ſi Dominus nobiſcum eſt, cur apprehenderunt nos hæc omnia? vbi ſunt mirabilia eius, que narrauerunt Patres noſtri, atque dixerunt: De Ægypto eduxit nos Dominus?* Indic. 6. v. 12. & 13. Ecce vocem vacillantium circa fidem, dum plus æquo à dominantibus exerceantur. *Et oppreſſi ſunt valde ab eis. v. 1. Ipſa videtur mutare Gedeonis fides, viri fortiffimi: quid ergo faciunt imbecilles?*

Ex Ma-dianitica ſeruitute.

Iudic. 6. v. 12 & 13.

v. 1.

Felices vltoria ex profugata Idololatria in Indis Regi Catholico promittuntur.

Iud. 6. v. 25. & 27.

Iſaia 9. v. 4. & 5.

Iacobus Ianſſonius.

Virgilius.

Felix præ alijs in Nouã Hiſpaniã conuerſo, quia Indi ad Mineris non compulſi.

118 Ergo ſingularis Protector fidei Rex Catholicus illam in ſuis Indis radicandam accuret, duriffimi laboris oppreſſione ſubmotã: ſic victorias ſibi de inſeſtiffimis poterit hoſtibus præclaras & frequentes polliceri. Timeo enim ne Idololatria in regionibus iſtis non penitus extirpata, curſum victoriarum impediatur. Victurus Gedeon, & memorabili profectò victoriã, præ aliis omnibus, quæ in Scripturis ſacris celebrantur, ab Idololatriæ expunctione captare iubetur auſpicium, cum ei dicitur: *Deſtruesque aram Baal, que eſt patris tui: & nenus, quod circa aram eſt, ſucide. Fece ſicut præceperat Dominus. v. 25. & 27.* & Deus pariter, quod promiſerat, adimpleuit feliciffimã victoriã, qualem in Euangelij Lucæ futuram Euangelicus Vates annuntiat, cum ait: *Superaſti, ſicut in die Madian: quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & veſtimentum niſtum, ſanguine erit in combustionem, & abs ignis. Iſaia 9. v. 4. & 5.* Violenti, & tumultuum excitatores inhiantes prædæ, quæ ex Indiis optima tranſmittitur, feliciter ſuperandi, & totus ille ſanguineus apparatus ferro ſammaque maſtandus. Vbi & Iacobi Ianſonij expoſitio ſic habet: *Violentiam Tyrannorum, amor religionis, quaſi quidam ignis, abſumat.* Sic illi ſcribens in Pſalmum 47. v. 9. Si ergo Tyranni eò deueniunt per Dei gratiam, vt amor religionis eos quaſi quidam ignis abſumat: quod de Rege noſtro æquum fuerit expectemus, in quo tyrannicum nihil, ſed paternã omnia, vnde Auguſto feliciter ſpontaneis imperat;

Victorque volentes Per populos dat jura, viamque affectat Olympo. Virgilius 4. Georgiorum. Abſumet enim profectò ignis religionis, vt zelo fidei exartans, eam in remotis hiſce terris ſtabilire curet, idololatriæ reliquiis penitus proſtigatis. Sic autem hoſtes ſuos fortunatiſſimè ſuperabit, ſicut in die Madian: paucis ſcilicet militibus plures; & Chriſtianis populis pace deſideratiſſimã reſtitutã. Pro quo conſideratione digniſſimum occurrit id quod in Noua-Hiſpania feliciffimè dicitur obtigiffe, in nouis inquam conuerſis nullas Idololatriæ reliquias deprehenſas. Cuius rationem adducit P.

121 Quia verò aliqui longi temporis vſu poſſunt hac in parte tueri, omnis conſuetudo circa hoc per eandem eſt leges reprobata. Et vt non expreſſè reprobaretur, nihil propterea iurare illa poſſet, niſi quòd ratione illius ad maiorem reſtutionem, ob multiplicatas per ſpatia temporum iniurias, tenerentur. Quando enim tale quid inter Chriſtianos viſum, vt alij aliorum personali addicantur ſeruitio, nullo pœnali merito, inter Hiſpanos præcipuè, vbi inconcuſſa habeantur jura pretioſiſſimã libertatis? Non poteſt quiſpiam ſeruitutem in rebus conſtituere, niſi qui dominus earum eſt, vt conſtat ex Inſtitut. de ſeruitutibus lib. 2. Titul. 3. §. 4. etiam ſeruitute dominium ab-

Fr. Ioannes de Silua, ſupra fol. 47. pag. 2. & fol. 91. P. Fr. Ioannes de Silua. pag. 1. quòd Indi ad Mineris non compellantur. Qui & fol. 46. pag. 1. ex argenti abundantia in regno illo per voluntarios Indos educta arguit, vt in Pertuio, & aliis Indiis regionibus, idem ſibi poſſint Reges noſtri polliceri. Pro quo item fol. 84. & 85.

C A P V T XIII.

An Reges Catholici ſecurã conſcientiã indulgere poſſint aut permittere Indorum ſeruitium personale.

119 S Eruitium personale ſpecialiter dictum, vt modò de illo diſtremus, quoddam eſt ſeruidi genus coactum, ad voluntatem eorum, qui eam ſibi licere exiſtimant facultatem, ſive quia Commendatarij, ſive aliis titulis: ratione quorum aliquem erga Indos exercent dominatum. Itaque aut cogunt ſeruire ſemper inuitos, libertatis titulo conſeruato, aut certis diebus, tenuiſſimi victus ſtipendio, vt poſſint diebus aliis ſuo commodo laborare. Circa hoc

Quid ſeruitiã perſonale ſit.

120 Dico, vt certiffimum, ſine grati peccato, & reſtutionis onere, id non poſſe conſtare. Videndus Dom. Solorzanus Tomo 2. lib. 1. cap. 1. & in Politica lib. 2. cap. 2. Pro quo & militat P. Fr. Ioannes de Silua in Animaduersionibus pro Indiciã gubernatione fol. 26. & totò ferè Memoriali 2. ac præſertim fol. 41. vbi ait in Concilio Prouinciali Mexicano Anni 1583. Patres omnes, nemine diſcrepante, diſtributionem Indorum ad ſeruitium præfatum iniquam iudicaffe. Ratio eſt, quia hoc eſt genus quoddam ſeruitutis, à quo Indi ſunt proſus extirpiti, vt vidimus cap. 1. 1. Item, quia hoc legibus in ſpeciali prohibitum, de quibus Dom. Solorzanus citato cap. 1. num. 12. & ſeqq. Ex quo ſequitur neque Reges Catholicos tale genus ſeruitij indulgere alicui, aut permittere poſſe, niſi fortè in delicti pœnam, quòd & ab ipſis vetitum reſpectu cuiuſvis particularis: nam ad miniſteria publica, & Regium famulitium, nihil obſtat obligari. Reges namque ſubditorum ſunt Angeli tutelares, & defendere tenentur eos, ne iniuriam ab alijs, nihil tale meriti, patiantur. Et quemadmodum eos non poſſunt ſeruituti totali ſubiicere, ita neque partiali, quæ ſine ingenti eorum oppreſſione non ſolet ſtare communiter; cum ingens aliã oppreſſio, ſit violenta diminutio libertatis.

Non licet reſoluitur.

Fr. Ioannes de Silua.

Concilium Prouinciale Mexicano.

Ratio aſſeritur ex Indorum liber-tate.

121 Quia verò aliqui longi temporis vſu poſſunt hac in parte tueri, omnis conſuetudo circa hoc per eandem eſt leges reprobata. Et vt non expreſſè reprobaretur, nihil propterea iurare illa poſſet, niſi quòd ratione illius ad maiorem reſtutionem, ob multiplicatas per ſpatia temporum iniurias, tenerentur. Quando enim tale quid inter Chriſtianos viſum, vt alij aliorum personali addicantur ſeruitio, nullo pœnali merito, inter Hiſpanos præcipuè, vbi inconcuſſa habeantur jura pretioſiſſimã libertatis? Non poteſt quiſpiam ſeruitutem in rebus conſtituere, niſi qui dominus earum eſt, vt conſtat ex Inſtitut. de ſeruitutibus lib. 2. Titul. 3. §. 4. etiam ſeruitute dominium ab-

Neque circa hoc ſuſfragari conſuetudinem.

Inſtit. de ſeruitut.